

# I. H. Sch. brevis & modesta dissertationis criticae [...]

Autor(en): **J.H.S.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 16

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394657>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

J. H. SCH.

brevis & modesta

Dissertationis Criticæ

ἘΠΙΚΡΙΣΙΣ;

quam Gottlob Frider. Gudius pro *Hilleriana*  
Sententia de Origine & Sensu  
του כתיב & קרי scripserat.

§. I.

**I**ncidi novissime in perlegendis *Miscellaneis Lipsi-*  
*ensibus Novis*, quæ Ampliff. & Excellentiff.  
*Menkenius* nobis largitur, in hanc *Gudii* pro  
*Hilleriano* Systemate Dissertationem Criticam;  
quæ illorum Tomo V. Parti III. inserta: & quum  
hæc Varietas Lectionum in S. Codice obviarum  
me non parum sollicitum haberet, summa istud  
Viri Rev. Scriptum evolvi attentione; ac id eo  
magis, quod is non parva fiducia hanc *Hilleri* de  
illa commendavit sententiam, repetitis hanc in  
rem testimoniis eruditorum illud inventum com-  
probantium & collaudantium; quibus commu-  
nicus *Hilleri* liber olim in lucem prodierat: quæ  
vero alii de hac Sententia in contrariam partem  
monuerunt, ea vel plane præterit, vel adfero  
*Wagenseilii* elusus mihi videtur; qui adseruit,  
quod pauci futuri sint, qui inventum illud vero pretio  
æstimare possint, atque arduitatem ejus assequi: nam  
Commate Dissert. suæ VIII. simul subjungit: *Opi-*

nione citius illud evenit. Criticis enim dubiis solvendis minime idoneum illud esse, pronuntiarunt Viri quidam summi. Invenit hic Rev. Vir latebras, ex quibus vix ac ne vix quidem excitari poterit: omni enim ab ipso dissentienti respondere fas ipsi videbitur; „ non vero pretio æstimas *Hilleri* Sententiam, „ non assequeris ejus arduitatem: „ quod refugium perinde tutum foret, ac alterum illud; si ex sola *Hilleri* pietate & ejus in S. Litteras anxia cura hoc Systema defendere vellet; prouti illius Origines eidem in solidum tribuit. Sed nos non hisce pugnamus armis, nemo has pietatis laudes Viro beato denegatas vult, quamvis statuatur, hanc Sententiam non respondere ipsius Consilio: Verum tale responsum non expectabimus a *Gudio* unquam, dum, quæ ad *Carpzovii* respondit Objectiones, nos erudiant; ipsum longe sincerius agere solitum esse. Quod si vero Sententiam nostram libere profiteri nobis liceat; nondum omnino dubio *Hilleri* Systema per *Gudium* liberatum: etenim ipsius Responsa nec omnibus Objectionibus motis satis facere, nec rem in clariore luce collocare, aut prouti ipsa revera sese habet, eandem exponere mihi videntur: id quod, salva omni in Virum Rev. Observantia, paucis probatum dabimus: ubi, postquam, quæ is *Carpzovio* respondit; examinaverimus; *Hilleriani* Systematis rationem principem sub incudem revocabimus: qua submota totum illud illico corruet; Nemo, spero, me temeritatis arguet, quod ego de re, quæ Viros in Arte Hebræorum Critica versatissimos mirum in modum vexavit; judicium ferre sustineam: nam non alias mihi sumo partes, quam veram de harum diversarum Lectionum Origine  
Sen-



tentiam a Viris doctissimis jamjam nobis apertam & communicatam contra aliam, ingeniosam quidem, sed lubricam ac ruinosam defendendi.

§. II.

Lubens cum Rev. *Gudio* confiteor, hanc quæstionem de Origine Variantium Lectionum, (loquor ex Hypothesi Auctoris, quamvis diversæ hæ lectiones hoc nomine neutiquam dignæ sint) tum in ipso Codice Sacro, tum ad ejus latus occurrentium, ac sub nomine *Cethiban* & *Karian* notarum, esse longe gravissimam ac difficillimam; quippe quæ Viris sagacissimis & prudentissimis solutu difficilis fuit: dum aliis nimia in Magistros Judæorum veneratio, aliis vero nimius inclarescendi pruritus & luxurians ipforum ingenium imposuerit. Hinc jam tam diversa de hac quæstione sentiunt *Rabbini*, & qui illorum effata cœce sequuntur, ac *Schola Critica*. Sed enarrandis diversis hac de re Sententiis facile supersedeo; adeant harum curiosi eos, qui data opera illarum historias conscripserunt, in quibus præ reliquis eminet magnus ille polyhistor *Wolfius* in *Bibliotheca Hebraica* Tomo II.; ubi omnes Eruditorum de his lectionibus Sententias, simul cum solidissima earundem *ἐπιλογῆς* recenset. Duæ vero vel tres earundem de principatu certant: (etenim, quæ *Rabbini* de divina harum lectionum Origine & *cabbalistica* earundem propagatione somniaverunt; nullius sanioris Critici attentionem merentur:) Ex his prima est *Scholæ Criticæ*; quæ natales harum Lectionum in *Schola Tiberiensi* quærit; & sic statuit, *Masorethas Tiberienses* Codici S. variis nævis laboranti succursuros multas hoc in negotio invenisse difficultates,



quas nullo alio modo superare potuerint ; quam unam lectionem , & quidem corruptam in *columna ipsius Textus* conservando , meliorem vero , & quæ alteram emendat ad *marginem* allinendo : sufficit hanc Sententiam proposuisse , ut quis vel illius falsitatem cognoscere queat , vel accipere , quam male rem suam egissent Critici Hebræorum ; concessa hac Hypothesi ; qui non ausi fuerint , errorem manifestum expungere , & Codicem S. vero ac pristino suo decori restituere : quam falsa vero hæc sit opinio , clare docuit doctiss. quidam *Hungarus Franciscus Tsebregy* in dissertat. lectu dignissima *de Authentia selectiorum Cethibim* , quæ inserta Tomo priori *Theauri Theologico Philologici* a Viris Clariss. *Haseo & Ikenio* editi. Id unum observo , quod mea quidem Sententia , hic primus ac princeps omnium errorum sit , quos *Schola Criticorum* fovet : dum enim præter fidem historicam tam seram lectionibus istis attribuit ætatem ; & antiquitatem punctorum Vocalium apud Hebræos pernegat ; cum tamen utriusque Origo longe altius repetenda sit : dum has lectiones pro emendationibus Codicis ipsius , corrupti scil. & perturbati venditat , eandem sibi arrogat licentiam , lectionem , quæ sibi non probatur ; immutandi , speciosam interserens causam , Versiones antiquas hanc postulare immutationem : sed nemo hac decipietur fraude , qui cogitat , quanta libertate Vett. illi in Versionibus suis usi sint , ac quam corruptæ ad nos pervenerint : & quis honestum ac cum sana Critica conveniens esse putabit , si quis statuat , idem & gravius adhuc malum *Textui Originali* accidisse , ac id eum tantum in finem , ut Versionum Auctoritas salva maneat.

Alter

§. III.

Altera est Cel. quondam *Tubingensium* Professoris *Matthæi Hilleri*, quam is in libro suo *de Arcano Cethib & Keri* exposuit, & cujus defensionem *Gudius* in se suscepit. is ætatem harum diversarum lectionum in *Synagoga magna* ponit primam, & sic sentit, *Esdram*, dum varios Codices Manuscriptos exararet; in illis, permittente Spiritu S., liberiori usum fuisse stylo, & mox hanc, mox illam usurpasse Vocem, mox hanc, mox illam fuisse secutum scriptionem; quod dum animadvertissent Critici Hebræorum, illos, vel ipso *Esdra* ad huc vivente, vel statim post ejus mortem, alteram lectionem ad marginem pinxisse, & hinc jam illa *Karian* orta esse. Facile quivis animadvertet, hancce Sententiam superiori multo anteferendam esse, nec tanta, prouti superior illa; post se trahere mala: ne vero quis nobis opponat, nos illam non vero æstimare pretio, aut illius non affectos arduitate, id non prætermittendum; quod *Hillerus* quoque putet, τὰ *Karian* saltem nonnunquam præferenda esse τοῖς *Cethiban*: id non obscure innuit Observatio ejusdem p. 93. libri sui prolata; sic enim ait: „Pene omiseram septimum genus, quod est Vocum *turpiorum* iisdem cum *honestis* gaudentium punctis. „ Neutiquam vero mihi persuadere possum, ut credam, *Hillerum* ipsos S. Auctores obscœnitatis arguisse, sed id tantum sibi volunt hæc Verba, Voces illas, quæ, dum ab Auctoribus usurpabantur, *honestæ* ac *decentes* fuerant; successu demum temporis in *turpiorem* Sensum raptas, & hinc ab *Esdra* commutatas fuisse; quam Sententiam infra paulo longius examinabimus, & contra *Hillerum* retorquebimus.



*Gudius*, qui hanc *Hilleri* de Sensu τῆ *Keri* & *Cethib* Sententiam primum defensurus erat, simul illam deserit, ac non amplius duorum Codd. *Esdrianorum* collationi has lectionum differentias attribuit, sed unius Codicis *Esdriani* & alterius *Babylonici*, a se invicem discrepantium; de qua Hypothesi mox plura dicemus.

§. IV.

Tertia denique circa harum Variantium Lectionum Originem Sententia, & quæ mihi omnium maxime probabilis videtur, est ea; quæ has *lectiones marginales*, s. hæc *Karian*, nonnisi *notas Hebræorum Criticas* esse decernit, quibus varias lectiones obsoletas & voces rariores, tum & structuras, sive Grammaticas, sive Syntacticas, insolentiores explicare voluerint: in quibus sæpius, ignorantes veram & antiquam Linguæ Hebræicæ indolem hallucinati sint, & erraverint. Nollem tamen omnes hasce Observationes cum variis eruditissimis Criticis inscitiae istorum Masoretharum adscribere: sciverunt ii forsitan antiquum Linguæ Hebrææ genium, agnoverunt eundem in *lectionibus Textus*, s. *Scriptis*: sed cum is non amplius in usu erat, de eo lectores minus peritos monere volebant; & ne ipsos tales lectiones insolentiores in perlegendo Codice Sacro impedirent, quominus expedite illum legere possent; eas cum tritoribus & magis consuetis commutarunt: verum hoc neutiquam Masorethas istos plene excusat; dum nihilominus certissime constat, illos nonnunquam turpissime errasse, ac totum negotium præpostere confecisse. Longe enim melius integritati Codicis S. consulissent, si alio quovis modo

do sui ævi homines de his Archaismis ac Vocibus obsoletis monuissent ; quam talium notarum faragine absurdissimis decretis ansam præbendo : quid enim v. g. absurdius excogitari potest , quam Sententia Rabbinorum , & quæ in multorum Philologorum Christianorum itrepsit libros : *quæ Textus obscæne exprimit , Masora caste legit.* Quodcumque vero jam fuerit ; Sententia , quam ego veram & omnium comprobatione dignam judico , non longa eget demonstratione ; brevi illa absolvi poterit : ,, Si hæ diversæ lectiones , variantes diver-  
 ,, forum Codicum forent lectiones , vel plures  
 ,, duabus occurrerent in uno eodemque loco ,  
 ,, vel utraque æque bona foret : Sed falsum con-  
 ,, sequens Eo &c. ,, Ad consequentiam proban-  
 dam tantum admittatur , quod sine miraculo statui non possit , omnes illos Codices , quos vel *Esdras* & *Viri Synagogæ Magnæ* , vel *Masorethæ Tiberienses* inter se contulerunt , duabus tantum lectionibus diversis discrepasse ; aut *Esdras* , qui , concessa *Hilleri* Hypothesi , in repetita illa Codicis S. descriptione liberiori stylo usus fuerat ; duas tantum diversas induxisse lectiones : nam unde probari potest , illum duos tantum confecisse Codices ; & cur , si plures exarasset , ejus libertas , quam Spiritus S. ipsi concessit , tam arctis limitata fuit limitibus , ut non nisi altera vice illam exercere posset ? Etenim , si quis ex eo , quod nonnisi duæ occurrant ejusmodi lectiones , concludere vellet , *Esdras* quoque duos tantum Codices descripsisse ; *mera principii petitio* foret : quæ autem ex *Gudii* Sententia in contrarium adferri possent , mox expendemus. Verum dices , optimas tantum adnotabant lectiones , & de quibus merito dubites , cuinam illa-



rum primas dare velis, an illi, quam *Columna Textus* nobis offert, an alteri, quæ ad *marginem* scripta fuit & lecta; si plura duabus occurrerent, idem responsum ab his hominibus audires; sed probent nobis, utramque lectionem æque bonam, æque antiquam esse & victas ipsis dabimus manus: verum hoc opus, hic labor erit! nam longe alia a Viris in Literatura orientali versatissimis erudimur, qui ope *Dialectorum Hebraicæ* coævarum, & imprimis *Arabicæ* nobis ad oculum quasi demonstrarunt; quod τὰ *Cethiban* longe antecellant τὰ *Karian*; & cum hoc sit, merito hæc ut spuria, & Codicem ea exhibentem ut spurium rejicere potuissent Critici Hebræi si sensu tantum communi præditi fuerunt: & quam parvam, florente tamen adhuc lingua Hebraica, & illius veram ac antiquam indolem multis sine dubio callentibus, quam parvam, inquam, illis *Masorethis* hi tribuunt eruditionem, dicentes, quod veram a falsa lectione dignoscere non potuerint, sed hæsitarent; quam nam eligere velint, ac hinc utramque adnotarint: quod dubium magis adhuc premit *Hilleri* Sententiam, quippe quæ *Esdræ* restauratorem L. H. arguit, illum, abolita vera & antiqua Linguæ suæ indole, peiores ac deteriores dedisse lectiones. Si ergo hæc *Karian* non sint lectiones tanto honore, ut hi volunt; dignæ ac Variantium Codicum lectiones; si non credibile, Criticos istos Hebræos, quibus hoc has variantes lectiones colligendi negotium tribuitur, tam stupidos ac insipidos fuisse, ut & τῶν *Karian* falsitatem introspicere, & cognoscere nequiverint, quod *Cethibim* solæ veræ sint lectiones; si hæc vera sint, clare exinde sequitur, hæc *Karian*, s. has lectiones  
mar-

*marginales* nonnisi *notas* esse Criticorum Hebræorum, in hunc, quem diximus usum, inventas: hac enim rerum conditione non datur tertium. Prævideo hic dubium, quod adhuc removendum, scil. minus probabile quibusdam videbitur, faciem Linguæ Hebrææ ea jam ætate, qua hæ notæ Criticæ ortæ fuerunt; (quædam enim illarum non solum Mischna ac utroque Talmude, sed & ipsa LXX. virali Versione antiquiores sunt:) in tantum mutatam fuisse, ut illæ ad intellectum S. Codicis facilitandum adjiciendæ essent: non poterimus id a priori probare, monumentis grammaticis illis temporibus jam conscriptis destituti, sed id a posteriori clarissimum erit, si quæ de his *Keriim* diximus, vera sint; alias nulla ratio dari posset, quare illæ a Masorethis fuerint inventæ: & id fatum facile L. H. accidere potuit, si quæ ipsa gens Judaica in Captivitate *Babylonica* subiit fata, ea cogitemus; ubi puritas & primæ Linguæ Sanctæ indoles degenerare cœpit, & in alias dialectos desciscere; hinc illa nonnisi a paucis intellecta & penitus perspecta fuit, qui ceteris consulturi has finxerunt notas, nonnunquam optime consiliis ipsorum respondentes, sæpius vero iisdem contrariantes: consulantur hanc in rem, quæ Cel. *Schultens* passim in libris suis de hac lectionum diversitate monet; tum τὼν *Cethibim* authentiam, tum τὼν *Keriim* falsitatem & novitatem demonstrando; ut & supra laudata *Tsebregyi* dissertat. nec non alia *Gerardi Kuypers de variis V. T. locis ex Dialectis vindicatis & illustratis*, quam *Lugd. Batav. 1743.* præside *Schultens.* defendit: non necesse est, ut nunc & alia Eruditorum scripta eandem Sententiam exponentia enarremus; ea enim, quæ citavimus  
 tam



tam clare , tam perspicue ac tanta convictione scripta sunt , talemque nobis nosmet ex hisce difficultatibus extricandi monstrant viam , ut non tritiozem , nec meliorem inire possimus , nec amplius habeant , quod desiderent Eruditi. Miror interea ; *Gudium* , dum *Hilleri* causam egerat , nihil ad hanc monuisse Sententiam : quamvis enim non aperte illius Systema oppugnet , talia tamen in se continet , cum quibus hæc *Hilleri* opinio neutiquam consistere potest ; adeo ut , quamdiu illa non dederit refutata ; hæc corruat & ex orbe erudito exulet , necesse sit.

§. V.

Vertamus nunc nos propius ad hanc *Gudii* pro *Hilleri* Systemate Dissertationem Criticam , & presso pede illam persequamur , ab una parte momentum Objectionum a *Carpzovio* contra istud factarum expendentem , ab altera vero parte , quæ *Gudius* ad illas respondit ; examinantes.

Primum , quo *Hillarianam* Hypothesin petunt argumentum a *Silentio Auctorum Vetustorum* desumptum est , qui nobis non tradant , quod *Esdras* plures Codices ipsemet descripserit : ac instant ; titulum סופר , quo ille in Scriptura S. insignitur , nondum probare , quod is huic labori , amanuensibus potius & librariis proprio , incubuerit ; cum longe graviora ipsi superanda fuerint pericula.

Contra ea Rev. *Gudius* putat , hoc silentium nihil nocere huic *Hillariano* Systemati , dum idem tum ex officii , cui *Esdras* præerat , ratione , tum ex *Judaicæ Ecclesiæ in Patriam reducis statu & moribus*  
colligi

colligi possit , ac statuit , quæ *Esdra* in S. Litteris tribuuntur laudes , illas hunc Codicem S. de scribendi laborem non respuere , quippe qui neque a *Scribarum* , neque a *Sacerdotum* munere alienus fuerit : quin immo , sic pergit in ratiocinio suo ; res maximi momenti credita fuit , *Sacrum Codicem* describere , quæ non cuivis committi possit ; imprimis vero isto tempore , quo de integritate illius prospiciendum , isque ab erroribus , quibus maculatus erat , liberandus fuerat , quæ res divinum postulabat adflatum , cum Codices *ἀπολόγοι* perierant : hinc *Esdra* hoc adserto neutiquam *librariorum mercede conductorum turbæ* associatur , sed *divini potius Vatis Auctoritas* ipsi adscribitur.

Dispiciamus nunc , quid de hoc dissensu iudicandum sit : est hæc *quæstio facti* , ex monumentis historicis dijudicanda. Quod si ergo , quæ de *Esdra* in ipsius libro c. VII. v. 6. 10. & sqq. ut & *Nehem.* VIII. traduntur , expendamus ; non expressis verbis legimus , ipsum hunc laborem in se suscepisse ; neque Vocabulum סופר , quo is in S. Litteris adpellatur , id tam clare innuit. Si enim *Interpretes* audiamus ac *Lexicographos* , longe generalius quid hæc Vox significat : nimirum per סופרים , sic ait *Cel. Werchau* in dissertat. de עטור סופרים , s. *ablatione scribarum* , “ supra citato *Thesauro Ikenii & Hasæi* inserta ; in specie Critici denotantur , qui artem illam Criticam bene calluerunt , ac circa *Scripturas Sacras* etiam Critice versati sunt , ita ut easdem , pristino suo nitore restitutas , a corruptionibus ac mendis variis quam studiosissime conservarint. In quorum censum ipse *Esdra* cum fidelissimis pa-

,, rastatis



„ rastatis annumerandus est , qui specioso admo-  
 „ dum titulo in S. Litteris insignitus est , *Esr. VII.*  
 „ 6. , ubi סופר מהר בתורת משה , *Scriba celer in*  
 „ *Lege Mosis* audit , &c. haecenus ille. „ Videatur  
 & magnus quondam noster *Hottingerus* in *Tbe-*  
*sauro Philolog.* p. 74. & sq. , ubi hujus Vocis סופר  
 significatus exponit , qui omnes *Interpretis* ideam  
 includunt : ex hac itaque Voce nondum patet ,  
*Esrām* manu propria plures Codices Sacros descrip-  
 sisse : neque id magis clarum fit ex circumstantiis ,  
 quæ de illius laboribus in S. Scriptura nobis tra-  
 duntur ; ex iis enim , quæ citato Cap. VII. *Esdrae*  
 narrantur ; non alia nobis constant , quam quod  
*versatissimus* fuerit in *Lege Dei* , quippe qui omni  
 cura ejus examini incubuerit , & maximo animo ,  
 quæ in ea tradebantur præcepta , fuerit secutus :  
 nec alia ipsi ab *Artaxerxe Rege Persarum* in manda-  
 tis data fuerunt , quam ut *statum Judaorum* tum  
*civilem* , tum *ecclesiasticum* innovaret ac restauraret ,  
 illaque curaret , quæ *Cultus publici honorem & decus*  
 promovere possent : quomodo id præstiterit ; ac-  
 cipimus ex *Nehem. VIII.* , ubi traditur ; *Esrām*  
 populo legem prælegisse divinam , & explicuisse ,  
 eundemque ad verum Dei cultum fuisse exhorta-  
 tum ; id quod & alii Viri Sancti , ejus exemplo  
 incitati , fecerant : nondum ergo evictum est ,  
*Esrām librarii* perfunctum fuisse partibus. Probare  
 id quidem sustinet *Gudius* ex more Ecclesiæ Judai-  
 cæ , cujus sanctiores & religiosiores Viri id fece-  
 rint ; adeo ut hac in re non parvam Religionis  
 suæ ac pietatis in Legem Dei partem consistere  
 existimarent , id quod eo tempore magis adhuc  
 ac religiosius observatum erat , quia de restituenda  
 S. Scriptura agebatur. Sed merito quæritur ,  
 an

an reliqua , quæ Viro huic sancto imminebant , officia , ipsi id otii reliquerint , ut sine horum periculo *Amanuensis* s. *Librarii* partes agere posset ; etenim multis contradicentibus vix ac ne vix quidem finem , quem intendebat , obtinere potuerat. Accipimus hæc tantum a Magistris Judæorum , *Esræ* omni studio operam dedisse , ut Codici Sacro veram & pristinam suam integritatem ac decus restitueret , illum hac in re a *Viris Synagogæ Magnæ* adjutum fuisse ; qui varios Codices Sacros , s. jam *ἀυλόγραφα* quorundam S. Auctorum , s. tantum *ἀπόγραφα* habuerint ; inter se conferebant , a vitiis purgabant , veras lectiones confirmabant , sicque integrum Codicem S. in ordinem & canonem redigebant , ac consignabant : nunc an *Esræ* ipse manu propria Codicem Sacrum descripserit , vel an alius sub ejus intuitu id præstiterit ; perinde mihi est : an deinceps plura exemplaria illius confecerit , non curiosus , tacentibus de hoc Auctoribus vetustis , inquirō : id unum observo , quod si quis hoc ex pietate ac sanctitate Viri hujus probare vellet , ob quam ei hoc negotium præ ceteris hominibus creditum fuerit ; quod talis , inquam , non parum detraheret laudibus Vatum divinatorum , ipsi coævorum. Sed incidit jam gravior quæstio , an *Esræ* hac in re liberiori sit usus stylo , illumque pro lubitu commutaverit ; adeo ut ipsius posterī ex Collatione horum Codicum illius manibus consignatorum , istam differentiam deinceps adnotare debuerint ? Non video , quomodo hæc cohæreant , & supra jam monuimus , quod hoc ratiocinium non multum differat ab errore , qui vocatur *petitio principii* , dum his , deficientibus tamen monumentis historicis , ut certa inhæreat

Veri-



Veritas, (§. 2.) non plures duobus ab *Esra* fuisse exaratos Codices, ac ipsi soli hanc libertatem concessam fuisse: cur ergo reliqui Viri sancti illa privati erant; cum tamen non minor *iisdem*, quam *Esdræ* & pietatis & sanctitatis sint tribuendæ laudes, quippe quorum Scripta divinam quoque testantur inspirationem? Si vero & illis eodem jure, ut huic, utraque convenit libertas; quis sine miraculo, vanissimo sane; accidisse putabit, ut omnes isti, in descriptione Codicis Sacri tali libertate usi, non nisi duabus lectionibus discreparent? Ut ne dicam, quod hæc agendi ratio plane contraria fuisset prudentiæ & sapientiæ Virorum horum piissimorum: nam disjecta plane erat & diruta tum temporis Judæorum Religio, Codices plerique Sacri variis librariorum mendis erant devastati, & perpauci veras exhibebant lectiones; huic malo obicem posituri Critici isti omnes illos errores tollere volunt; & hinc Codicem probatissimis & omnium optimis instructum lectionibus in lucem protrahunt; at tam negligenter, quam semel adoptarunt lectionem, propagant; ut illam pro lubitu immutent, non cogitantes, quod hac licentia plebi haud levia dubia de Codicis Sacri *authenticitate* & integritate ingeri possent, quæ ipsis iterum eximenda fuissent; sic novo malo suos ipsi auxissent labores, ac periculum fuisset, ne ipsa tandem Religio gravissima ex hac Negligentia sentiret mala: quis vero credet, Viros tam pios & sanctos, tam prudentes ac sapientes rem istam tam præpostere confecisse.

§. VI.

Videtur ipse *Gudius* has difficultates sensisse; hinc omissa Hypothesi ista *Hilleri*, saltem de ejus evidenti-

evidentia nonnihil dubitans ; *Carpzovii* arripit opinionem , quæ statuit , hæc *Karian* ex collatione Codicis alicujus *Babylonici* , [qui melioris notæ fuerit , cum alio , *Esræ* manu consignato , orta esse ; & hinc nonnisi duas occurrere lectiones discrepantes. Justa foret consequentia ; si antecedentia extra omnem dubitationis aleam posita essent : sed quem novum in hæc Ora adferunt hospitem ! nam , I. nullius tam antiqui Codicis *Babylonici* mentio ab historicis antiquis & Judæis facta fuit ; nisi quis *Ligtfootum* sequens , quæ in *Talmude Hieros. Cod. Taabnit* , de triplici in atrio templi reperto traduntur ; ad triplicem Codicem triplici Judæorum cœtui , scil. in Judæa , Babylonia & Ægypto , respondentem trahere velit : sed hic idem locus tunc Sententiam huic plane contrariam doceret ; ostenderet enim nobis , quod Critici Hebræi duos illorum Codicum , qui conveniebant ; secuti fuerint , tertium vero dissentientem rejecerint : Unde ergo ortæ hæc variantes lectiones ? II. Vel *Gudius* Verbis tantum a *Carpzovio* dissentit , revera autem cum ipso convenit ; vel quem *Carpzovius* protraxit Codicem , admittere nequit : putat enim *Carpzovius* , hunc Codicem *Babylonicum* post *Antiochi* demum *Epiphanis* tempora *Hierosolymas* fuisse deportatum , & cum alio ibidem existente collatum ; sed *Hillerus* , cujus hic causam agit ; contendit , hanc collationem , vel *Esræ* adhuc vivente , vel statim postquam is diem obiisset supremum ; institutam fuisse : quomodo itaque *Gudius* hanc temporum discrepantiam conciliabit ; & quibus monumentis historicis nobis hunc antiquum Codicem comprobabit ? Nam talem tantum fingendo rem nondum absolvet. III. Hoc adserto divina , quam



*Esrae* alias hoc in negotio tribunt; Auctoritas multum minuitur; dum is, adjuvante tamen Spiritu S., non potuerit corruptas emendare lectiones; adeo ut Codex S. non prius vero suo restitutus fuerit decori, quam Sors meliorem obtulisset Codicem: quam exiguum hi *Esram* fingunt Criticum! quam exiguas Spiritui S. tribuunt laudes! IV. Concedamus per momentum hanc Hypothesin; sed tunc quæritur; quibus legibus *Esras* suum sanciverit Codicem; ne illius lectiones deinceps unquam quisquam immutaret, & si meliores offenderet: ac utrum posteri ipsius tam scrupulosi fuerint, qui id sibi permittere non fuerint ausi? siquidem Auctoritas Ducis sui apud ipsos præ Veri Amore prævaluit: at his hominibus, præter rationem sufficientem, talem tamve malam notam inurere, minus honestum duco. V. Adsertum hoc valde mihi cum probabilitate pugnans videtur: etenim qua ratione reliqui libri, post *captivitatem* demum *Babylonicam* scripti, illi inserti fuerunt, & quomodo in his lectio fuit mutata? VI. Hæc *Karian* neutiquam probant, quod Codex iste tam bonæ fuerit notæ; nam illa est eorum conditio, ut eorundem novitas, & repugnantia a vera ac antiqua L. H. indole manibus qu. palpari possit. VII. Ut tandem ad Rev. *Carpzovii* Hypothesin quædam moneam; vel hoc solo illa refutari poterit, quod quorundam saltem *Karian* origo altius repetenda sit, quam ipse putat; quum LXX. viralis Versio jam nonnulla istorum sit secuta.

§. VII.

Altera a *Carpzovio* contra *Hilleri* Systema mota Objectio hæc est: *illam constantiæ Spiritus S. in iis,*  
*quæ*

*quæ semel tradidit, repugnare:* „ Etenim non pro-  
 „ babile esse, ait, quod Spiritus S., qui per  
 „ Amanuenses primos unam tantum & simplicem  
 „ adhibuerat lectionem, post multa demum Se-  
 „ cula variam & diversam *Esræ* manu inferere vo-  
 „ luerit textui & quidem data opera. Contra ea  
 „ Deus sibi semper & ubivis constans in Verbo  
 „ suo mansit; & infirmitati pariter ac simplicitati  
 „ fidelium consuluit; ut & petulantium ingenio-  
 „ rum proterviæ obicem posuit, si non passus  
 „ fuit, Vocem aliquam intercidere, vel muta-  
 „ tionem aliquam subire, talem inprimis, quæ  
 „ ingenio & analogiæ linguæ adversetur, ac ma-  
 „ nifestam sapiat contradictionem. „ Objectio  
 hæc satis gravis non æque gravi corroboratur ar-  
 gumento; quippe contra quod non levia excipi  
 possunt: dum constantiæ Dei in Verbo suo nihil  
 detrahitur, quamvis is non præcaverit, ne lecti-  
 ones quædam immutarentur; id quod & accidisse  
 nemo dubitabit, qui variantes Codicum lectiones  
 rite observavit: hoc vero integritati S. Scripturæ  
 nihil nocet, dummodo ope Critices sanioris opti-  
 ma ex iis variantibus erui queat. Audiatur de  
 hoc Anonymus quidam eruditissimus, qui in Sché-  
 diasmate *de Literis in S. Codice suspensis*, quod *Sym-  
 bolis Literar. Bremens.* T. I. P. II. insertum est; sic  
 ait: „ Uti enim, (egerat antea de variis Erudi-  
 torum circa has litteras suspensas Sententiis, qua-  
 rum una declarat, quod eæ sint lectionum vari-  
 antium indicia:) „ qui rationalem integritatis S.  
 „ Codicis, providæque Dei circa eandem curæ  
 „ conceptum sibi formant, minime ad eam requi-  
 „ rent, ut nunquam in toties repetita descriptio-  
 „ ne tantæ molis libri, neque in ulla litera, er-



„ ratum sit , quod sane absque perpetuo miracu-  
 „ lo ne concipi quidem potest ; quale autem fin-  
 „ gere absque sufficiente fundamento , *ἀλογον* fo-  
 „ ret & *ἀφιλόσοπον* : sed potius ad id sufficere co-  
 „ gnoscet , si vera lectio inter variantes conserva-  
 „ ta sit , adhibitisque adminiculis erui queat. „  
 Haecenus ille : Hac sola ratione , ni sensus omnes  
 me fallant ; tota illa & longa *Carpzovii* argumen-  
 tatio refutatur.

Verum nunc alio modo formemus quæstionem ,  
 & quæ magis stringit *Hillerianam* Hypothesin : ni-  
 mirum , an cum Sapientia Spiritus S. convenisset ,  
 duplicem talem lectionem inducere ; an *Esræ* le-  
 gibus Critici boni satisfecisset , si data opera le-  
 ctionem , quam semel adoptaverat ; commutas-  
 set : hæ sunt difficultates istæ , quibus *Hilleri* Sy-  
 stema quam maxime premitur. Clar. *Schultens* in  
*Institut. ad Fundam. L. H.* p. 97. prius dubium tam  
 grave esse decernit , ut ob id solum omnis *Hil-  
 leriano* *εὐρηματι* denegandus sit assensus ; en ipsum  
 audiemus : „ Apparet ingeniose excogitatum *εὐρη-*  
 „ *μα* , ad utriusque Lectionis *Authentiam* , quin  
 „ *Auctoritatem* *divinam* sancendam. Id magno  
 „ primum plausu exceptum , gravissimis laborat  
 „ incommodis : Clar. *Wolfio* , *Carpzov.* aliisque  
 „ propterea laudem potius , quam assensionem  
 „ novæ inventioni tribuentibus. Potuisset Cl.  
 „ *Hillerus* pro bona parte consensum impetrasse ,  
 „ si non *geminam Authentiam* induxisset , sed *du-*  
 „ *plicem Lectionem* Vett. Codd. , inter quas optio  
 „ difficilis atque in medio relinquenda visa. „  
 Posteriores vero Objectionem vehementer urget  
 Cel. *Wolfius* in *Bibl. Hebr.* T. 2. p. 517. „ Non  
 „ pro-

„ probabile , inquit , mihi fit , *Esram* , si plures  
 „ Codices ejus manu exaratos credamus , destina-  
 „ to consilio , tum literas , tum verba transpo-  
 „ nere , permutare , addere alia , alia abolere  
 „ voluisse . Ex mutatione enim ista commodum ,  
 „ quoad video , nullum omnino sperandum , in-  
 „ commodum vero non unum , v. c. dubius  
 „ apud lectorem animus in deligenda lectione , ti-  
 „ mendum erat ., Hæc ille , & ita revera res se  
 habet : nihil jam dicam de diversitate lectionum  
 in unicus tantum literis consistente , quam diversa  
 movendi , construendi ac derivandi ratio induxit ;  
 hæc enim plerumque tanti non est , ut cui de sen-  
 su S. Literarum dubium injicere possit ; quamvis  
 & hujus quædam exempla recenseri possent , quæ  
 non admodum levia sunt : sed datur talis & tanta  
 diversitas lectionum in integris Vocibus occurrens ,  
 ut sensum plane diversum præ se ferat , & eum  
 novo ac diverso vestiatur habitu , v. g. illa , quæ  
 circa אָ & וְ versatur , de qua alia occasione  
 plura dicemus ; ut jam alia exempla silentio præ-  
 tereamus , quæ Viri illi supra laudati in scriptis  
 suis adnotaverunt , & explicuerunt : nunc merito  
 quæritur , an Spiritus S. salva constantia sua  
 hanc talium lectionum commutationem *Esrae* in-  
 spirare , an hic salva integritate Codicis sacri ,  
 salva Conscientia sua , salvis legibus Critici sani  
 ac prudentis eam studio qu. & meditatione insti-  
 tuere potuerit , & an is officio suo bene functus  
 esset , si hac in re humani quid ipsi accidisset ?  
 Utrum horum admittas , multum detrahes laudi-  
 bus , *Esrae* alias debitis , & talis criminatio , nam  
 quis criminationem non adpellaverit , Virum hunc  
 pium & sanctum negligentiae in re accusare , quæ



summam requirebat diligentiam; quin immo eisdem has perverſas ac falſas adſcribere lectiones? hæc & tanta, inquam, Criminatio pia adhuc illinitur fraude, dum adſerit *Hillerus*, Spiritum S. bene præcaviſſe, ne ulla inſtituatur mutatio, quæ ſenſum perturbatura fuiſſet: ſed ſi dantur talia exempla, quæ plane contrarium docent, quis amplius in hoc *Eſræ* labore divinum reperiet auxilium?

§. VIII.

Quæ hætenus diſputavimus, nunc paulo accuratius explicandi occaſionem nobis Reſponſum ſuppeditabit, quod *Gudius* ad hanc *Carpzovii* Objectionem dedit. Dicit primum, Cl. *Hillerum* ipſum prævidiſſe hæc tela; ſed illum eadem retudiſſe equidem non crediderim. Rejicit quidem iſtorum opinionem, qui hæſce immutationes eum in finem factas fuiſſe putant; ut, quod ab Auctoribus ſacris incultius ſcriptum fuerat; curis deinceps ſecundis corrigeretur, ac emendaretur: Deum, ait, nihil unquam dictiſſe, quod deinceps ſcriptum nollet; hætenus recte omnia fluunt; ſed nunc ſic pergit: *Si Deus, in explicandis animi ſui Senſibus, rem eandem variis modis elocutus eſt; probabile eſt, & tale fuiſſe initium lectionum variantium in Codicibus V. T., qui manibus populi a captivitate Babylonica reductis terebantur.* Sed bone Deus, qualis nexus, quæ conſequentia! ego iſtam introſpicere non valeo; nam quod profert exemplum, huc non quadrat, uti mox videbimus: contra ea in ipſius aſſerto apertam me detexiſſe exiſtimo contradictionem, nam antea p. 24. *Arcani ſui ſtatuerat, Deum nos ad Verba ſemei revelata ita adigiſſe, ut ne*  
*latum*

latum quidem unguem ab iis recedere cuiquam nostrum  
 licent : nunc vero contendit , *Ezra* id licitum fuisse.  
 „ Nimirum *Ezra* , inquit , filius *Seraja* , Scriba  
 „ in *Lege* *Mosis* expeditus , *Ez. VII. 6.* , Scriba  
 „ *Legis* *Dei* cœlorum absolutus v. 12. , (redi ad  
 „ §. 5. hujus nostræ *Dissertat.*) Scriba Verbo-  
 „ rum , Præceptorum *DOMINI* & statutorum  
 „ ad *Israelem*. Ille , inquam , *EZRA* , ut tan-  
 „ torum nominum mensuram impleret , sacra  
 „ Volumina iterum atque iterum sua manu de-  
 „ scripsit , vel descripta ab aliis recensuit , ut  
 „ *Ecclesia* sacrorum Librorum absque mendis  
 „ *Scriptorum* copia instrueretur. Cæterum in  
 „ illa multiplici descriptione , aut recensione , *Vir*  
 „ *Ἐσθραῖος* non ubique iisdem verbis , literis  
 „ aut apicibus institit , sed in nonnullis *Codicibus*  
 „ (Sensu tamen dictorum ubique integro & in-  
 „ violato ) literas , aut Verba permutavit , vel  
 „ transposuit , addidit alia , alia abolevit , non-  
 „ nulla denique ex *Chaldaismo* adpersit. , &c.  
 Nonne hic *Hillerus* apertis Verbis sibi ipse contra-  
 dicit , & quam semel statuerat Sententiam , ite-  
 rum pernegat ? Vel enim *Ezras* æque ut reliquum  
 hominum genus ad observationem religiosissimam  
 eorum , quæ semel revelata fuere , tenebatur ;  
 vel non : Si prius , quæritur , quo jure is alias  
 induxerit lectiones ; si hoc , quæritur , quis illi  
 hanc concesserit libertatem ? Dicunt Spiritum S.  
 hoc direxisse negotium : sed nova iterum occurrit  
 quæstio ; an Spiritus S. lectiones illas antiquas in-  
 venerit obscuriores , ac insolentiores ; quas cum  
 aliis commutare constituerit ; ut eo melius S. Lit-  
 teræ intelligerentur ? Cedamus hoc , cur ergo hæ  
 in prima descriptione *Codici* S. conservatæ fue-



runt? Dicent, ne, quod semel revelatum fuit; aboleretur: ponunt ergo ipsi aliquod discrimen in illis duabus lectionibus; & sic adsertum ipsorum corruet, *nihil mutatum fuisse in Sensu, quamvis Voces mutarentur*: Nisi quis, eloquar ne an si- leam? Nisi quis tam ineptum & puerilem de S. Literarum divinitate conceptum sibi formare velit, ut illam ex quantitate literarum aestimare, & non levem illius partem in earundem figura quæ- rere velit; ac Linguam Hebræam confusionis ar- guere, cujus Synonymæ Voces nihil discrepent: sic jam ex parte aliam refutavimus instantiam; cujus nunc mentionem faciemus; scil. ut omnes animadverterent, nihil in Sensu mutatum fuisse, ideo utramque lectionem fuisse conservatam, for- sitan quidam dicent; & ipsi *Hillero* hæc insedit opinio, qui & istam *φιλόσοφον* de divinitate S. Scripturæ statuit sententiam: sic enim is p. 25. *Arcani sui* ait. „ Ne igitur, quod semel inspira- „ tione & instinctu Numinis scriptum, (de qua „ opinione supra jam §. 7. differuimus) *qualecum-* „ *que id fuerit*, e Sacro Codice periret, ipsius „ *Ezræ* ætate, vel certe proxima, Viri Zelo & „ pietate pleni, quos per me vel *Masorethas*, vel „ *Viros Synagogæ Magnæ* dixeris; in eam curam „ totis Viribus & stupenda diligentia incubuere, „ ut lectiones has discrepantes, quarum aliæ a „ prima, aliæ a secunda sacri Notarii manu ve- „ nere, uno quodam Symbolo, in textu posito, „ comprehensas in apographis suis ad posteritatis „ memoriam transmitterent. „ Sed quem in finem? Hæ lectiones antiquæ vel obscuriores erant & in- solentiores, & hinc cum tritioribus commutatæ, vel non: si illud, quis Judex sedere potuit, quod illa

illa Vocum & Lectionum mutatio nullam in ipso Sensu post se traxerit? si hoc, dicendum erit, Spiritum S. sine ratione sufficiente novam inspirasse lectionem: utram ergo harum admittas; ad absurdum illa perducitur poterit, nec cum Sapientia Dei conciliari. *Esræ* porro vel Codicem S. de novo composuit, ac restauravit; vel illum ex probatoribus Codicibus collegit: Si prius, facile comprehendo, quare stylus diversus sit ab illo, qui primum erat revelatus; (& hæc sine dubio ratio est, ob quam in S. Litteris eadem res variis ac diversis expositæ fuerunt verbis: ) si vero alterum locum obtinuit; omnes Artis Criticæ leges ab ipso postulabant, ut omni fiducia ac sinceritate, ad servatis quam diligentissime optimis lectionibus, id effectum daret: cum vero non aliud, quam hoc posterius, ipsi incumberet onus; necessario has sanctissimas leges sequi debuit; & si hoc verum ac constans sit, per se clarum est, quod non licitum fuerit *Esræ*, studio & data opera quasdam immutare lectiones, quin potius ipse sedulo cavere debuerit, ne tale illi imprudentiori accideret vitium.

§. IX.

Videamus interea, quomodo *Gudius* hanc de suo amplificaverit & exornaverit sententiam: putat ipse, *Hillerum* rem suam monelis istis callidissime & sapientissime propugnasse; dum mutationes illas a Masorethis adnotatas libero Spiritus S. reliquerit arbitrio, non curiosus rationum, ob quas hanc vel illam Vocem per *Esræ* mutatam voluerit.

Utique brevissima hæc est via, omnes refutandi Objectiones, quam tamen quis inire poterit,



& sic brevi omnes eruditorum cessabunt rixationes : sed valde dubito , an futurum sit , ut quis in hoc adquietat responso , quod tam solidum non est , adeo ut *Gudius* coactus fuerit , ad inquirendas quasdam hujus instituti rationes , quas vel divinando quasi sese detexisse putat : liceat adeoque nobis illas percurrere. Existimat igitur primum , *Estram* , dum hoc fecerat ; *Orthographiæ* , *dialectorum* & *Vocabulorum* usus , ante & post *captivitatem Babylonicam* diversi , quibusdam in locis rationem habuisse ; eadem jam *Hillerus* dixerat , cum , uti supra vidimus ; statueret , *Estram* nonnulla ex *Chaldaismo* adpersisse : at valde hæsito , an hæc non ampliorem desiderent probationem : Nam , I. quos hi *Chaldaismos* & recentioris dialecti indicia esse putant ; ea forsitan æque antiquam illam L. H. indolem sapiunt , ac reliqua ; de quo *Cel. Schultens* adeatur in *Institut. ad fundam. Linguae Hebraicæ*. II. Quæritur , concessa hac Hypothesi , quemnam illorum duorum Codd. pro illo antiquioris notæ vendiderit ; ac prius exaraverit ? III. Cui usui hoc inservierit , & annon , si ipsi mens erat , antiquas illas lectiones cum talibus commutandi ; quæ magis tritæ ac consuetæ erant ; melius fuisset , si illas plane non redintegrasset , & has tantum dedisset : nemo sane de authentia ac auctoritate Codicis S. , ab *Estra* restaurati , dubitasset , quamvis is alteri horum laborum supersedisset ; nimia enim illius apud suos erat auctoritas : & si ob indicatas rationes istæ mutationes ab *Estra* profectæ fuerunt , scil. ut potior gentis Judaicæ pars , antiquæ illius *Orthographiæ* & usus *Vocum* obsoleti ignara , eo melius S. Codicem intelligere posset ; nonne alter ejus labor , antiquas illas lectiones

ctiones exhibendi , inutilis plane fuit & supervacaneus ? Verum *Esram* tam vanam quæſiſſe gloriam , temerarium foret effatum. IV. Si hoc fuit ejus conſilium , & omnes id cognoverunt ; quæritur merito , cur Codex ille , qui tamen obſoletam illam & antiquam L. H. indolem referebat , receptus & alius , qui intellectu faciliores lectiones exhibebat , ſit rejectus ? Nam V. probabile non eſt , vel *Esram* ignoraffe , quod hæc lectiones non amplius triti ſint uſus ; vel tam brevi temporis ſpatio dialectum illam adeo mutatam fuiſſe , ut is in repetita ejus deſcriptione , & ſi verſus finem ætatis *Eſdræ* demum illa facta fuiſſet ; hæc mutationes inſtituere debuerit : & ſi hæc *Gudio* inhæreret opinio , ei magis adhuc obſtaret quartum , quod propoſui dubium ; dum ſic experientia didiciſſent *Maforethæ* , quod Codex , antiquis illis ac obſoletis inſtructus lectionibus , parum proſit genti *Judaicæ* ; ac quod recentiores lectiones plane reſpondeant antiquis ; ex quo clare ſequi puto , quod ii hunc Codicem , quem nunc habemus ; plane abrogare , ac contra ea alium , ex quo *τὰ Karian* collecta , ſtabilire debuiffent : cum vero hoc non ſit factum ; VI. Magis adhuc probabilis redditur illa Conjectura , quod hæc *Karian* nonniſi notæ ſint Criticæ , illustrationis gratia inventæ ; & ſi inſtent , *Esram* illorum eſſe Auctorem ; dicendum erit , illas nonniſi hanc *Job* cauſam ab ipſo fuiſſe margini adſcriptas.

§. X.

Alterum , quo *Systema* hoc probare vult , argumentum tale eſt : Si *Spiritus S.* ad *Amanuenſium ſuorum temperamenta ſtylum accommodavit* , nihil obſtat ,



obstat, quominus statuatur, *Spiritum S.* quoque suis librariis libertatem concessisse, in *formandis Vocum terminationibus* seculi morem sequendi, imo Vocibus quas ætate sua pro *obscænis* habebat usus, alias substituendi, quas tunc pro *honestis* habebat hominum opinio: Sed magnus hic est saltus: probandum enim antea incumbit *Gudio*, quam hæc admittamus, quod eadem sit ratio componendi librum, & illum demum describendi; quod eadem sint jura primi ejus Inventoris, s. *Auctoris*, ac *Librarii*; quod Spiritus S. eodem modo direxerit, vel inspiraverit Auctores sacros & illos, qui hos denuo integros & liberos ab omni vitio ac errore, quem injuria temporum & Scribarum incuria illis intulerant; genti suæ largiti fuerant. Facile concedo, Spiritum S. accommodasse stylium ad *temperamenta S. Auctorum*, alias eum non tam diversum reperiremus in libris sacris; sed leges, quibus *Esræ* ac *Viri Synagogæ Magnæ* tamquam *librarii* ac restauratores Cod. S. tenebantur, nos impediunt, quominus statuamus, idem & in illorum negotio accidisse. Nolumus jam repetere illa, quæ supra jam movimus dubia, cur ergo Codex ille antiquiores exhibens lectiones, omni ævo pro authentico, genuino, fuerit venditus ac conservatus: cur non potius Codici, recentioribus ac tritioribus instructo lectionibus, illæ antiquiores fuerint adscriptæ, hocque usa sit Ecclesia Judaica? Verbum tantum addamus de hoc *Gudii* asserto, ubi dicit, *opus fuisse, ut, quæ usus pro obscænis habuit Vocabulis, cum honestis commutarentur*: quamnam igitur ambaram lectionum putat esse *honestiorem*? Hactenus creditum fuit, *marginalem* s. *Keri* illam esse; sic saltem tradiderunt Rabbini,

Rabbini, sic statuerunt plerique Philologorum Christianorum, & hæc, si quid video, quoque sententia est Rev. Gudii; dicit enim, usu temporis *Voces honestas fieri obscenas*: illa igitur Vox, quæ antiquitatem magis olet præ altera; hoc factum subiit; nunc vero evidens est, *Lectiones scriptas*, s. *Cethibim* longe antiquioris ac remotioris indolis esse, quam *Lectiones lectas* sc. *Kerim*, illas vero conservarunt, & sic maluerunt; ut hæc *obscenitatis* nota Codici S. illata, ipsi adhæreret, absit invidia Verbo; quam ut hac, aliis lectionibus *honestioribus* ipsi illatis, liberaretur: videant, qui ita sentiunt; quomodo Auctores S., quin & ipsum Spiritum S. ab hac, quam minus prudentes illis adspargunt, injuria salvos reddant. Interea tamen valde dubito, an *Keri castius* sit  $\tau\omega$  *Cethib*: conferantur tantum ea, quæ supra citatus *Tsebegy* de commutatis Vocibus  $\text{שגל}$  &  $\text{שכב}$  ex fontibus purissimis monuit: at quid tunc de *Esra*, quid de *divino Spiritu S. auxilio* dicendum erit; quo hac in re is adjutus fuisse existimatur! hoc itaque adjuvante, hoc inspirante *Esras obscenis* fuit usus vocabulis, & *honestiora* cum illis transmutavit: videt quisque, quam absurda hæc sit sententia, ut nullus dubitem, quin omnes quam lubentissime illam deserturi sint opinionem, ac in nostras transituri partes, quod, quas *variantes* putant esse *lectiones*, illæ nonnisi *notæ* sint *Criticæ Hebræorum*; quibus non raro Codicem S. *perturbant* potius, quam *illustrant*.

§. XI.

Instat nunc *Gudius*, sufficere, quod discrepantiæ illæ Spiritus S. constantiam factam & tectam relin-



relinquant , nec is a mente sua unquam recesserit , nec mutatio hæc vel genio & analogiæ linguæ adversetur , vel cōtrarium Sensum suppetet , vel Scriptorum corruptionem prodat.

Varia hic congerit Rev. *Gudius* , quorum pleraque jamjam præoccupavimus , adeo ut in his refutandis breves esse possimus. Maxima , ni fallor , difficultas in eo versatur , an his talibus mutationibus Sensus nunquam fuerit turbatus : Ut , quæ supra jam de hoc monuimus , adhuc magis confirmentur ; paucula quædam adjiciemus , quæ non leve iisdem addent pondus. Nimirum , nemo inficias ire poterit , quod in *Verbis Synonymis* aliquod detur discrimen ; ubi unum altero significantius , ac quodvis Schema exprimit singulare : posito hoc per se clarum est , quod per commutationem talium *Vocum Synonymiarum* & ipse Sensus alicujus libri immutetur , saltem non amplius ea vi ac Emphasi , qua antea , efferatur , sed novo vestiatur colore : si vero alterutrum horum Codici S. per istas commutationes , ab *Esa* factas , accidisset ; non amplius ea determinatione , qua antea , expositam haberemus mentem Dei , novo potius ab ipso cumularemur decreto ; etenim sensus Verborum in S. Scriptura semel elatorum neutiquam vagus est , sed perquam determinatus. Nemo me Contradictionis accusabit , si jam statuam , nullam talem mutationem factam fuisse , & a Spiritu S. *Esa* inspiratam , quippe cui constantia Dei in Verbo suo obstitisset , cum tamen supra dixerim , illam Dei Virtutem salvam , fartam & tectam manere , si ope Critices ex variis illis lectionibus ea elici queat , quæ optime

me cum Sensu Auctoris conspirat: probe enim distinguendum est inter mutationem, quæ fato, s. jam incuria Amanuensium, s. injuria temporis; accidit, ac inter mutationem spontaneam, studio institutam, immo ab ipso Spiritu S. inspiratam, saltem ab ipso concessam, & in libera ejus voluntate sitam; qualis hic fingitur, & quæ cum Scopo Dei in Verbo suo sibi proposito consistere nequit.

Tertium, quod nunc *Gudius* adfert argumentum, desumptum ab instituta collatione inter *Ps. XVIII.* & *2. Sam. XXII.*, ac deinceps ad collationem τῶν *Cethibim* & *Kerim* translata, infra examinabimus, ubi ad hanc *Hilleri* Hypothesin principem explorandam pervenerimus.

### §. XII.

Dicit porro Rev. *Carpzov.*, illam esse τῶν *Karian* & *Cathan* conditionem, ut neutiquam omnia illorum vel ad hanc Hypothesin examinari, vel in eundem sensum redigi queant; est hæc generalis Objectio, quam deinceps specialioribus quibusdam exemplis comprobata dat: idem jam monuerat Clar. *Wolfius* in *Bibl. sua Hebraica* T. 2., ubi ait: „ Ut taceam, non ubique diversam „ Scriptionem per Cl. *Hilleri* interpretationem ita „ conciliatam, ut in eundem prorsus Sensum „ collineet, nec altera alteri præferri mereatur. „ Hactenus ille: quid vero jam ad hæc respondet *Gudius*; nihil plane, sed tantum auctoritate pugnat *Hilleri*, ad quem provocat, cujusque citat testimonia, quorum unum objectionem hanc plane non ferit, reliqua vero duo non parvam de suo  
 Invento



Invento probant ipsius *Hilleri* opinionem ; quasi vero hoc, quo *Gudius* hic utitur, argumentum, nimirum *αὐτὸς ἔφα*, adhuc quicquam valeat ! nam quomodo *Hillerus* probat & demonstrat suas Hypotheses ? Fingit sibi quasdam regulas, quas ex collatione istarum diversarum lectionum eruit, has nudas ponit, & sub singulis istis singulas illarum lectionum species enumerat : sed ostende tunc mihi rationes, quibus has suas leges corroboret ac confirmet ; & magnus mihi eris Apollo, si ullam invenēris : non docet nos, quod ejusdem præcii sint lectio *textualis* & *marginalis*, quod utraque antiquam & primævam L. H. indolem æque fortiter sentiat : præsupponit potius, quam probat ; Voces in utroque latere positas eundem nobis exhibere sensum, eandem hujus in illis esse vim ac emphasin : audiamus, quid is de talium Vocum genere vexatissimo dicat : „ Pene omiseram, „ inquit p. 93. *arcani sui*, septimum genus, quod „ est Vocum *turpiorum* iisdem cum *honestis* gaudentium punctorum *שגלנה* compressa es. קי ha- „ bet *שכבת* violata es. *Jerem. III: 2.* *ישגלנה* vi- „ tiabit eam, *ישכבנה* cubabit cum ea. *Deut. XXVIII:* „ 30. *תשגלנה* vitiantur, *תשכבנה* concubitu vio- „ labuntur. *Jesaj. XIII: 16.* *Zachar. XIV: 2.* „ En totum *Hilleri* mysterium ! quam brevissimus is certe in demonstrationibus suis est, & non tangit, quæ tamen explicanda forent, si res ipsius salva sit, oportet ; nam nos erudiendi fuissetus, I. quod altera harum Vocum *obscena* sit, altera vero *casta*, s. *honestas* ; & quæ ipsi talis videatur. II. Quod hæ duæ Voces, seposito hoc præjudicio, eundem gerant Sensum, nec una illarum præ altera significantius quid in fronte gerat : nam

III.

III. observandum, *Hillerum* in determinandis harum vocum significatibus summa imis miscere, ac præter rationem eosdem utrique tribuere. IV. Dubium remove debuisse valde probabile, & quod plerorumque, qui hic variantes agnoscunt lectiones, inhæret animis; has commutationes non esse emendationes ipsius textus, sed voces illas demum successu temporis in *pejorem* & *deteriorem* partem fuisse raptas, cum contra ea altera vox revera *honestior* sit ac *castior*: si vero hoc sit, cur tamen vox ista *turpior* in illo Codice fuerit conservata, de quo decreverunt, ut is authenticus & genuinus esset, dum illo usi fuerunt? Sed forsitan quis instabit, ideo illam fuisse retentam, quia antiquiores quoque Codices eam exhibebant: at nonne *Esræ* ex *Hilleri* opinione *turpiorem* istam vocem cum *honestiori* commutavit, nonne Spiritus S. hanc libertatem ipsi concessit, quin immo ipse ex horum opinione, (nimium tamen hi divinitatem *Esdrae* ac divinum hac in re auxilium extollere ac urgere mihi videntur:) per *Esræ* hæc commutavit vocabula? nonne hoc ipso authentia ac auctoritas divina & huic alteri *Esræ* Codici adscribitur, quin eidem priores dantur partes, quod in illo voces, quæ lectoris animum suspensum relinquere potuissent; per meliores sint expositæ? & tamen hæc bona, hominibus istis nota, ex nostro nunc exulant Codice! ac utique sine periculo illis caremus; si, quæ hæcenus exposuimus; cum vero non pugnent.

§. XIII.

Venimus nunc ad exempla, quæ Rev. *Carpzovius*, tamquam *Sytemati Hilleriano* minus congrua





insolentiorē quidem , sed ab Analogia ac indo-  
 le primæva L. H. non abhorrentem ; uti id reli-  
 quæ Dialecti Orientales clarissime docent ; illas  
 post se traxisse notas criticas : ) „ Effabile sex ad-  
 „ modum habet genera. primum , quod a *Keri*  
 „ *marginali* differt , solum literæ radicalis elisione. „  
 & pag. dein 44. exempla ista recenset ; qua ima-  
 sic differit : „ [ *Bodaam* ] כּוּדָאָם , *comminiscens eos* ,  
 „ יתיר אֵי i. e. *redundat Aleph* , altera sc. *Scriptione*.  
 Scribendum ergo [ *Bodam* ] כּוּדָם , *comminiscens*  
*eos. Nehem. VI: 8.* Sic Nodus secatur , non sol-  
 vitur : & explicatio Notæ liberrima nobis datur ;  
 vel quis *Hillerum* docuit , sic explicare illud יתיר ,  
 quis ipsi hoc inspiravit supplementum ? porro , si  
 Consequentis aliquod pretium tribuerem , non  
 nimis coacta foret illa , si quis ex his *Hilleri* verbis  
 conjiceret ; illum existimasse , quod τὰ *Karian*  
 emendent τὰ *Kethiban* , illaque his ut corruptis  
 sint præferenda : ac denique quæritur , quare Spi-  
 ritus S. hanc mutaverit vocem ac *Scriptionem* ;  
 fuit ne vox textualis obscurior ? fuit ne Ortho-  
 graphia insolens & minus sueta ? sic placuit ipsi ,  
 dicent , qui *Systema Hillerianum* arripiunt & am-  
 plectuntur ; liberæ ejus voluntati hoc cedimus ,  
 nec nimium curiosi in causas , quæ nos latent ;  
 inquirimus : Sed si ea est hujus diversitatis con-  
 ditio , ut non possit esse varians lectio ; quid tum ?  
 mihi saltem probabile est , Auctores hujus notæ  
 Criticæ non probe calluisse Vim & Emphasin vo-  
 ces כּוּדָא , cujus partic. *Benoni Kal* cum affixo plur.  
 3. p. m. □ locus noster exhibet : illa vero de ex-  
 cessu , s. exorbitatione in *Sermone* usurpatur ; prouti  
 id clarissime docuit magnus & incomparabilis *Schul-*  
*tens* in *Commentar. ad Jobam* p. 287. in auxilium



vocans *Arabicum* כְּרָא , f. כְּרָו , videatur etiam  
 Cl. Clodius in *Lexico Hebraico selecto* p. 66 : hinc  
 cum Radix illa non amplius illorum Masoretha-  
 rum ætate in usu esset , aliam sibi finxerunt , sive  
 jam כְּרָה , quæ plane idem significat , f. כְּרָד ,  
 quæ tandem per multas Conjecturas , quibus non  
 raro favebant isti homines , ad Sensum a vero non  
 omnino abhorrentem trahi potest : Vel etiam , &  
 quod longe vero similis mihi videtur , Critici isti  
 illud *quiescens* animadvertentes , illud extrusum  
 volebant , & sic apocapatam præferebant forma-  
 tionem ac scriptionem ( v. Schult. inst. Hebr. 2.  
 p. 112. ) Quod vero jam alterum spectat exem-  
 plum , 2. Sam. XXIII, 11. אַחְרֵי , ubi קי̄ habet  
 אַחְרֵי ; quæ diversitas lectionis jam v. 9. & in aliis  
 quoque locis occurrit : de illis exemplis observan-  
 dum, quod textus apocapatam exhibeat Scriptionem;  
 quam, ne ea cuiquam moras neceret ; Critici isti He-  
 bræi , f. Masorethæ suppleverunt in nota margini ad-  
 scripta ; utraque lectio sensum eundem fundit , ac  
 exinde plane non sequitur , quod istæ lectiones  
 ex duobus variantibus Codicibus sint collectæ : si  
 enim res ita se haberet , brevi lineæ ductu ad tol-  
 lendum hoc vitium opus fuisset ; quod ita merito  
 appellandum , si quis consuetas & usitatas regulas  
 grammaticas sanctius sequi vellet : unde conclu-  
 do , non fuisse alium Codicem , qui τὸ *Keri* præ-  
 se ferebat : nec video , quommodo hæc diversi-  
 tas Scriptionis diversus Dialecti *Babylonicæ* ac *Hie-  
 rosolymitanæ* Character haberi posset ; nam sic  
 constanter in Cod. S. lectio apocopata occurre-  
 ret. Ultimum denique exemplum , de quo di-  
 sputatur ; occurrit quoque 2. Sam. XXIII, 9. hic  
 inter





§. XIV.

Pervenit nunc *Gudius* ad examinandam differentiam contradictoriam, quam *Hilleriano* Systemati objecerat *Carpzovius* oblectionem  $\text{H}$  &  $\text{N}$ . Sed cum hæc loca, de quibus disputatur, ac quæ ipse dicit, longius requirant ac maturius examen; illa nunc mitto, ac in aliud tempus differo; id unicum adhuc moneo, quod  $\text{H}$  *adfirmativum*, neutiquam respondeat  $\text{N}$  *negativo*, quippe cui & *originatio* & *Analogia* (est enim illud ex particula  $\text{H}$  & adfixo tertiæ personæ sing. m.  $\text{I}$  cum *cholem* conflatum) obstant; est adeoque in his locis, ubi *Cethib* habet  $\text{N}$  *negativam particulam*, *Keri* vero  $\text{H}$  *pronomem cum præfixo*; aperta contradictio, adeo ut *Spiritus S.* neutiquam diversæ hujus lectionis *Auctor* statuendus sit, id quod alia occasione longius exponemus.

§. XV.

Pergit *Carpzovius* in sua *Crisi* ad illa loca, de quibus dubius hæserat *Hillerus*, quamnam ex collatione istarum diversitatum eruere debeat, ac quam velit præferre; sunt illa 2. *Sam.* XIV, 21. *1. Reg.* VIII, 48. ubi *Hillerum* nescivisse dicit, an *primæ*, an vero *secundæ* sint personæ; item *Ezech.* XLVII, 12. *Dan.* IX, 10. num *singularis*, an *pluralis* locum obtineat. Quod si responsum *Gudii* ad has considero objectiones, nescio amplius, quid mihi dicendum restet; an ipsum lusisse *Carpzovium*, an hujus non intellexisse objectionem dicam. Ni fallor, hæc sibi vult oblectio *Carpzovii*; ipsum *Hillerum* hic non decernere; quamnam lectionem eligere debeat, ipsum hinc utramque divinam statuere, sed sic sibi ipsum  
 contra-

xi.

contradicere, dum contenderit, hac instituta & a Spiritu S. inspirata mutatione nunquam mutatum fuisse Sensum: sed quis hic non agnosceret Sensum mutatum, cum altera lectio ex *Hilleri* opinione *secundam*, altera *primam* exhibeat personam; una *pluralem* numerum, altera *singularem*: hæc est *Objectio Carpozoviana*; nunc quid ad istam respondet *Gudius*? „ Ego autem, inquit, dubia omnia superasse credo *Hillerum*, citata loca „ commodissime interpretatum, ut contextui „ quam optime conveniant. Auctoribus etiam „ iis obviam ivit, non perterritus, qui, alterutram „ lectionem in mendo cubare, sibi persuaserunt. „ De hoc posteriori jam non quæritur; sed potius, annon talis lectionum mutatio & ipsum Sensum S. Scripturæ mutasset, an talis duplex divina inspiratio tunc ab eo admitti posset, qui tamen statuit, nihil unquam Deum inspirasse, quod tamen nollet factum? vel nonne si altera lectio aperte alium gerit Sensum, prius inspirata abrogantur verba? nonne hoc novo Schemate, quamvis id contextui optime respondeat; priori aliqua inconvenientiæ nota adspergitur, quippe quam Spiritus S. non adeo pulcrum, ut alteram, inveniit, & hinc cum hac commutaverit? hæc, hæc solvat dubia *Gudius*, nec illa aliam inferendo causam, quæ in jus non vocatur, eludat! Examinemus nunc paucis ista loca, & novo argumento sententiam nostram de *Origine & Sensu τῶν Keriim* corroboremus. Primus locus 2. *Sam.* XIV, 21. sic se habet; הנה נא עשתי את הדבר הזה [hgasitai] *Ecce fecisti hanc rem*, sic vertit *Hillerus*: קי habet [hgasiti,] עשתי *Facio hanc rem*: & hoc exemplum in iis recenset *quiesc. Lamed He,*



quorum persona discrepat ; sed nonne plane diversum diversa hæc lectio exhibet Schema ? & non dubito , quin  $\tau\omega$  *Cethib* duas ob rationes primas dem partes , quarum una est , quod magis conveniat adfectui tenerrimo Davidis in Absalomum , qui ipsum primum impediabat , quominus statim propositioni Joabi annueret ; hinc dubitanter illi respondit ; *Ecce hoc fecisti , huc me addegisti , abi ergo &c.* Altera ratio ob quam  $\tau\delta$  *Cethib* pro genuino agnosco , & contra ea  $\tau\delta$  *Keri* vel plane respuo , vel nonnisi notam Criticam esse puto , hæc est , quod vertendum sit , *Ecce fecisti hoc mihi , ecce huc me addegisti &c.* ; est enim , illud , quod otiatum plane , affixum primæ personæ sing. , & cum Masorethæ istud quiescens , s. otiosum invenissent ; errorem in ipsa punctatione esse putaverunt , & hinc primam personam in Margine , illo decepti , exsculperunt ; quo clare docetur , quam frivolæ nonnumquam sint illorum notæ. Alterum exemplum occurrit 1. Reg. VIII, 48. [baniti , sine , matre Voc. long.] בנית , קי habet בנית ; putat *Hillerus* *Cethib* punctandum esse [banita] בנית , sed hæc emendatio falsæ nititur Hypothesi , quod *Cethibim* exhibeant puncta  $\tau\omega\upsilon$  *Kerium* : potius statuendum , Masorethas apocapatam inveniētes scriptionem , illam supplevisse , &  $\tau\omega$  *Chirek* suum addidisse augmentum ; cuius & alia plura exempla in S. Literis invenimus : quod si punctatum invenissent [banita] בנית , hac nota forsitan careremus ; quamvis tunc hæc lectio corrupta fuisset , quum contextus orationis illam non admittat , & tamen *Hillerus* illam textui inserit ; ebeat cum hac sua divina inspiratione , quæ omnino cum Sensu pugnat ! Pergamus nunc ad ea exem-

exempla , quæ *Hillerus* in numero discrepare existimat ; nimirum *Ezech.* XLVII, 12. הַיּוּ [hajav] קִי habet הַיּוּ [hajah] : putat *Hillerus Cethib* esse punctandum , הַיּוּ [hajuu.] , sed præter necessitatem , exhibet enim id scripturam primam ac originalem ; omnia enim verba , quæ nunc in grammaticis nostris *quiescentia Lamed He* audiunt , origine sunt *quiescentia Lamed* vel *Je* vel *Vaw* : alterum exemplum est *Dan.* XI, 10. [jitgaræv.] יַתְגַּרּוּ , יַתְגַּרְהוּ קִי , [jitgaræh] *Hillerus Cethib* iterum punctat [jitgaruu] יַתְגַּרּוּ , at eadem recurrit responsio , hoc enim antiquam & nativam exhibet scripturam , ut illud consuetam & in grammaticis nostris nunc receptam præ se fert. Exulent itaque hæ lectiones variantes ex Codicibus Sacris ! Authentia τῶν *Cethibim* agnoscat , & falsitas τῶν *Kerüim* refutetur !

### §. XVI.

Ultimo denique loco *Carpzovius* ad voces *apocapatas* provocat , quæ non diversarum formarum Symbola esse possint : v. gr. *Jerem.* XL, 16. [thahgase] תַּעַשׂ , nec non ad illas , in quibus otiosum in fine redundaret. Quod priorem attingit Objectionem , illam sic refellit *Gudius* , has lectiones *apocapatas* omnino esse diversarum formarum Symbola , ac *Hillerum* in libro suo indicasse , quod [thaghase] תַּעַשׂ indicet , alterum Codicem habuisse תַּעַשׂ , alterum vero תַּעֲשֶׂה : sed precaria est hæc explicatio , nullo nixa fundamento , nullis probata antiquioribus Codd. & monumentis ; multo potius , usquedum meliora erudiemur , statuemus , Masorethas *apocapatam* reperientes scripturam ac vocem hanc , uti nunc est , punctatam ; illam integritati suæ in Margine restituis-



se, & hinc illud *Keri* fuisse ortum. Nititur hoc nostrum adsertum generali illo Argumento, quod supra §. 13. protulimus. Alteram quod spectat Objectionem de, in fine *otioso*, quod *paragogicum* vocat, de illo recte sentit *Hillerus*, quod 2. pers. scem. præter., ut & pronominis adfixum *antiquam*, adde & *plenam originalemve* exhibeat scriptionem; altera vero scriptio, ubi illud deest; sit consuetior ac tritior: sed num exinde jam duplex probari poterit Codex, qui diversam hanc exhibuerit lectionem? vel nonne verosimilius est, Masorethas insolentiosem illam Scriptio- nem, quæ in columna textus occurrebat, (v. Schult. in institut. ad fundam. L. H. p. 117. & 281.) per tritiorem in Margine explicuisse.

#### §. XVII.

Quarta Objectio, quam Rev. *Carpzovius* contra *Hillerianum* Systema movit, hæc est, quod per illud Symbolorum, s. *Cethibim* puncta Scriptoris *θεοπνευστ* manui eripiantur, & Viris piis ac sanctis asserantur, ideoque non pro divinis, sed humanis, habeantur; ac quod sic multæ voces divina & authentica priventur punctatione. Non respondet quicquam ad hanc Objectionem *Gudio*, sed aliam ex *Carpzovii* Systemate desumptam eidem opponit, & sic dubium, gravissimum sane, eludere quærit: insistamus paulisper ei, & per partes, quæ *Gudio* & reliquis hanc Hypothesin sequentibus solvenda incumbunt, indicemus I. *Hilleri* Systema punctationem multarum vocum authenticam valde dubiam facit, dum statuat, *Cethib* vel integrum esse instructum punctis τ̄ *Keri*, vel saltem quædam hujus illi subjuncta. II. Hoc totius

tius punctaturæ Authentia in periculum gravissimum perducitur, si enim, uti hi, sese vidisse, sibi persuadent; illa in quibusdam locis certissime mutata fuit; nonne idem & in aliis locis accidere potuit? quæ ergo nobis erit certitudo, nos habere adhuc verum Sensum S. Literarum, quem primi istorum inventores ac auctores intendebant. III. Sic omnibus liberum in S. Scripturas conceditur exercitium, mutandi in iis ea, quæ ipsis non arrident. IV. Unum ex gravissimis pro antiquitate punctorum Vocalium infringitur argumentum, quod a Notis his Masorethi- cis ob insolentio-rem punctationem ortis desumitur. V. Salvum vero id est, donec ex antiquioribus monumentis ac Codicibus convincamur, quod ii, qui, uti hæc, sed false, innuit sententia; ex alio Codice in Margine alteram adscripserunt lectionem, quod ii, inquam, puncta τῶ Cethib tali ratione commutaverint, ut lectores eo citius alteram lectionem, seu Keri animadverterent. VI. Nunc apparet, quam vana sit gloriatio Hilleri a Gudii denuo recocta: „ Quantillus etiam ap-  
 „ paret, octingentos amplius Scripturæ Sacræ  
 „ locos, quos corruptos partem, partem inex-  
 „ plicabiles, Critici nostri putarunt, integritati  
 „ & puritati suæ restitutos, explicavimus. „ Scil-  
 tot tantaque præsupponendo, quæ nunquam no-  
 bis probavit ac demonstravit, nodosque hos Cri-  
 ticos secando potius, quam solvendo.

§. XVIII.

Expositis hisce contra Gudii Dissertationem Criticam Objectionibus, nunc paucis adhuc princeps Hilleri pro suo Systemate argumentum examina-




minabimus ; cui & Rev. *Gadius* fortiter insistit ; sic enim argumentatur : „ Si Spiritus S. , dum „ bis nobis exponeret Psalmum XVIII, sc. in „ ipso libro Psalmorum , & deinceps 2. Sam. „ XXII, nonaginta & plures admisit differitates , „ quæ tamen omnes cum grammatica analogia „ optime conspirant ; sequitur, eum in aliis quo- „ que locis eadem libertate uti potuisse , cum „ Volumina sacra, vel secunda, vel tertia vice de- „ scribi curasset. „ Atqui verum prius. Eo &c. At quis non videt , quod I. probanda incumbat consequentia , non sequitur , hoc Spiritus S. hoc certo tempore in re certa præstitit , eo & alio tempore in alia re idem effecit. II. A posse ad esse non valet Consequentia. III. Ni fallor, non potuit hoc facere , saltem non fecit Spiritus S. per eos , qui Codicem S. integritati suæ restituerunt , quippe quibus non novum inspiravit decretum divinum , sed per quos illud jam revelatum denuo describi curavit ; & si , quas supra exposuimus leges Librariorum sanctæ ac nunquam violandæ sint , Spiritus S. potius cavit , ne contra illas impingerent , quam , ut id facerent , iussit.

### §. XIX.

Quod denique differentiam istam hujus Cantus Davidici in duobus illis libris diverso modo expositi attinet ; illa neutiquam huc quadrat ; ac tum demum illud , quod *Hillerus* innuit , verum foret , si is certior esset , Auctorem librorum Samuelis illum cantum ex *αυτογράφω* Davidis descripsisse , & tamen Spiritum S. in hoc negotio hanc libertatem ipsi concessisse : quod si vero quis ex me quæreret , unde ergo hæc differentia hujus  
Cantus

Cantus orta [sit? huic nunc duplicem & divinam  
regerem inspirationem : Auctor scil. Librorum  
Samuelis non agebat hac in re Amanuensis perso-  
nam, sed uti erat Vir Θεοπνευστος ; denuo qu.  
illud Davidis composuit poema, Sensu illius as-  
servato, sed Spiritu S. Stylum ad temperamen-  
tum Auctoris horum librorum accommodante :  
vel etiam David ipse duabus diversis vicibus hoc  
poema composuit, & unum in Libro Psalmo-  
rum, alterum vero in Chronico Samuelis asser-  
vatum fuit exemplar, quod divinæ illius inspira-  
tioni non repugnat.

T A N T U M.



J. J. W.